



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

14. Julii. Animarum saluti addictos ità oportet laborare, ut non tantùm Deo, sed & hominibus propter Deum se gratos faciant, & divini honoris zelum ex proximi profectu moderentur. S. Ignat. ibid.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

alternat vices, jam ubertate solatiorum
perfundit animam ; jam siccitate facit ex-
arescere. Utrumque è cœlo est.

Adest Deus, ut ad amandum alliciat ;
abest, ut nostras ipsi vires agnoscamus.
Adest, ut conatum nostrum remuneretur ;
abest, ut, an sinè mercede ametur, explo-
ret. Adest, ut cœli prægustum faciat ; abs-
est, ut, quàm amarum sit, sinè Deo vivere,
ostendat. In utroque Deus.

Orationi pretium nec ariditas, nec con-
solatio facit. Nec illa melior, quæ uberi-
or, nec quæ siccior, continuò deterior.
Voluntas nostra qualitatis distribitrix est.

Ut in humanis, sic & divinis læta suc-
cedunt tristibus, vel quia Deum varietas
hæc delectat, vel ne par semper rerum fa-
cies nobis pariat fastidium.

14. Julii.

*Animarum saluti addictos ita oportet labo-
rare, ut non tantum Deo, sed & homini-
bus propter Deum se gratos faciant, &
divini honoris zelum ex proximi profe-
ctu moderentur. S. Ignat. ibid.*

Sorores sunt virtutes, non colliduntur
ad invicem, pacificè in eodem corde

hospitantur. Dilectio Dei nihil officit in proximum charitati; una adjuvatur ad altera, & velut circuli in catena inseparabili nexu sociantur.

Ubi cum iusta plurium offensa Dei honor quæritur, zelus non est, sed passio, sed janctantia; tantò despicabilior coram Deo, quantò major est abusus, vitia virtute palliare.

Si hominibus placeret, Christi servus non esset Apostolus: scilicet si hominum gratiam spectaret ut finem, si commodo suo, aut voluptate id faceret.

Favor hominum quæri cum virtute potest, imò debet, ut hoc semel occupato, cor ejus possideamus, eique Dei amorem implantemus. Non te audiet, qui odit.

15. Julii.

Erga sceleratos eo pacto te gere, quo pia mater jacentis filii miseratione se macerat; blanditurque illi sedulitate haud paulò delicatiori, quàm sano, & valenti. S. Ign. ap. Bart.

UT difficiliùs animi, quàm corporis ægritudines curantur: ità plures in illius, quàm hujus cura irrepunt errores. In Utrique Medicorum imperitiâ,